

attigi: unde per mediae quae dicitur aetatis tempora celeri pede transgressus his studiis infructuosiora ad excerptorem ultimum Petrum de Crescentiis, quem multi Crescentium appellare maluerunt, Ruralium commodorum librorum XII auctorem perillustrem, deveni (cf. § 1). Horum scriptorum locos plurimos praeter Crescentium Keil in maiore editione inter textum et apparatus commemoravit, in ipso commentario haud raro diligenter exscripsit. Quae testimonia quomodo ad Varronis verba emendanda adhibenda essent l. s. s. p. 3 sqq. paucis significavi. Sic paulatim succincta artis criticae historia succrevit, quae nos non modo per saecula vetustiora, quibus libri Varronis usu florebant, sed etiam per medii aevi obstinatum silentium quo oppressi iacebant et Montis Cassini ut videtur resuscitata studia Florentiam ad codicem S. Marci famosum virorumque doctorum, imprimis Italorum, contentiones egregias et ex hoc potissimum libro Victorii merito nutritas ad nostratem denique Henricum Keil, quem rerum Rusticarum Varronis librorum sospitatore iure dicemus, feliciter adduxit. De his autem studiis quae Keil in minoris editionis praefatione exposuit et in prooemio commentarii sui anno 1894 editi p. V sqq. aliqua ex parte retractavit, nunc denuo non mutata subicienda esse censi.

IV. „Editi sunt Varronis libri una cum reliquorum scriptorum de Re Rustica libris primum a. 1472 Venetiis apud Nicolaum Iensonum, cui editioni Georgius Merula praefuit. is quamvis summa licentia usus sit et plurima temere mutaverit, tamen multa, quae apertis librariorum erroribus corrupta erant, primus correxit, quamquam quaedam ex his e Mediceo codice vel ex Florentino, qui ex illo correctus erat, petere potuit. haec adscripta *v* littera¹⁾ et, si eadem in Mediceo codice leguntur, addita etiam *m* littera significavi. reliquorum editorum emendationes adscriptis nominibus indicavi. ex his Philippus Beroaldus, qui prin-

1) Non omni ex parte haec conspirant cum significatione *v* litterae, quam in apparatu intellegi et Keil et ego ipse volumus; cf. p. 2 et *Mras* censurae p. 70.